

Quinto. An idem cum militibus nubere volentibus cum feminis non militibus, sed Italis non originariis loci, sive Diocesis, in qua reperiantur?

Sexto. An, & quid pro sanatione gestorum in prateritum, & faciendorum in futurum super predictis omnibus pro certa regula Sanctissimo consulendum, & statuendum sint? Ad 1. 2. 3. 4. & 5. respondit Negative, ad 6. in prateritum non esse inquietandas conscientias quoad sacramentum Penitentia. Quo vero ad matrimonia sine speciali facultate apostolica, vel sine licentia Ordinarii loci, vel parochi non servata forma Sacri Concilii Tridentini in cap. 1. sess. 24. de reformat. matrimonii, pro sanatione, si sanctissimo Domino nostro placuerit, renovatio tamen consensu etiam coram Confessario approbato, qui teneatur tradere testimonium renovationis dicti consensu parochi illius loci, in quo fieri contingat. hujusmodi renovationem.

Proposito in futurum differatur in primam proximam Congregationem, in qua consulendum erit, ac deliberandum. Sub die 20. Martii ejusdem anni super provisione, Congregatio dixit Secretario, cum Sanctissimo pro tali provisione, & sanatione. Apud Petram t. 2. in const. 12. Anno. III. n. 18.

(Vide addit. hisp. verb. Capella, & Capellanus militum, ubi omnia hic concernentia demonstrantur: in eisdem verb. Auctor. perlegere convenit.)

89 Approbatio potest dari ab Ordinario etiam extra propriam diocesim existente, quia approbare Confessarios non est actus jurisdictionis contentiosae, quae exigit exerceri in proprio tribunali, sed voluntariae, quae extra proprium territorium communitur exerceri potest, Ugolini de potest. Episcopi c. 4. §. 14. n. 4. Cardin. Tusch. lit. 1. conclus. 146. Stephanus Gratian. discept. forens. c. 127. Barbosa. de offic. & potest. Episcop. part. 2. allegat. 6. num. 16. Lugo in respon. moral. lib. 1. dub. 17. & disp. 21. de penis. n. 37. ubi dicit, quod Episcopus v. g. Ostiensis Romae existens potest approbare sacerdotem romanum pro sua diocesi ostiensi, & talis romanus sacerdos posset confessiones audire in diocesi ostiensi, non tamen posset Romae audire confessiones civis ostiensis ibi existentis, quia dum sacerdos ille Romae commoratur, non est subditus ullo modo Episcopi ostiensis, nec Episcopus ostiensis est ordinarius civis ostiensis Romae commorantis, adeoque non esset approbatus a suo Ordinario, prout requiritur ex Tridentino, nec ab Ordinario illius diocesis, in qua confessiones audiret, prout requiritur ex cit. const. incip. Superia, & ex aliis declarationibus citatis supra, sub n. 39. & seq. Cum autem talis sacerdos romanus pergeret ad diocesim ostiensem, tunc incipit esse approbatus a suo Ordinario ex vi approbationis praeferentiae factae ab Episcopo ostiensi, & adhuc virtualiter manentis, quia tunc incipit esse subditus illius, & subiacere ejus foro & correctioni, atque adeo habere illum pro suo Ordinario in ordine ad illud ministerium.

90 Regularis approbatus ab aliquo Episcopo, dum in ejus diocesi versatur, sive ut hospes, sive cum domicilio, si postquam transierit ad diversam diocesim, redeat ad primam, in qua fuit approbatus, non indiget ibi nova approbatione, sed virtute illius prioris nondum revocate, potest ibi confessiones audire, quia iterum fit subditus ejusdem Episcopi, à quo fuit approbatus, atque ideo est jam approbatus ibi à suo Ordinario. Suarez dit. 28. sect. 7. num. 9. Lezana tom. 1. cap. 10. num. 7. in fin. Amicus disput. 15. num. 135. de satisfact. Sacramental. Lugo, & alii passim. Immo Regularis redeundo ad diocesim, in qua fuit approbatus, nedum recuperat approbationem, & potest confessiones audire adhuc vivente eodem Episcopo, sed etiam mortuo, quamvis successor ejus advenerit: dummodo iste approbationes praedecessoris non revocaverit: & ratio est, quia Regularis redeundo ad priorem diocesim, à qua recesserat, recuperat jura, quae antea denter habebat, perinde ac si non recessisset; sed si non recessisset, gauderet facultate excipiendi confessiones subditorum illius diocesis, licet jam mortuo Episcopo approbante, quinimmo etiam adveniente successore, donec ab isto fuerint facultates revocate, ut patet ex adductis supra num. 10. & 14. adeoque &c. Sic Rodriguez in Bulla

Cruciata §. 9. n. 5. Nugnus in addit. ad tertiam partem q. 8. art. 3. dub. 1. conclus. 2. Joannes Vallerus verb. Absolutio differ. 1. n. 19. Tamburin. de jure Abbat. disp. 3. quest. 14. num. 2. Lugo disp. 21. sect. 2. n. 44. ubi cum pro ratione adducta ipsum Regularem iterum fieri subditum ejusdem Episcopi, à quo vel ab ejus praedecessores fuit prius approbatus, supponit evidenter recuperate approbationem, licet jam mortuo Episcopo approbante, & adveniente Episcopo successore.

93 Quoad approbationem pro confessionibus excipiendis, locorum Ordinarii in approbatione Confessoriorum tenentur eos obligare ad attente legendas, & accurate observandas constitutionem Gregorii XV. incip. Universi Dominici Gregis editam contra Confessarios sollicitantes, & constitutionem Benedicti XIV. incip. Sacramentum Penitentiae, (Vide in fin. add. hisp. verb. Regulares, ibi dictam constitutionem. Vid. etiam verb. Complex peccati n. 23.) ut expressè precipitur in hac ultima constitutione n. 23. Volamus demum, ac precipimus. Et expedit, ut legenda una simul traderetur ejusdem declaratio incip. Apostolici muneris, ab eodem Benedicto XIV. facta, utpote ad ejus intelligentiam, & observantiam necessaria, & à nobis ob id ad verb. Complices peccati adducta sub num. 23. Vide Ibi.

94 ** Approbatio ad audiendas confessiones nihil prodest extra diocesim Episcopi approbantis. Idque etiam sacerdos approbatus excipere vellet confessionem personae subdita Episcopo, qui ipsum approbavit. Benedicti XIV. constit. incip. Apostolicum ministerium. Vide ad id etiam superius hoc ipso artic. dicta à n. 39. ad 43. **

95 Primum ecclesiae saeculis praecipuum auctoritatem, & curam excipiendi confessiones, penes Episcopos stetit, pluribus ostendunt Morinus de discipl. eccl. in administr. sac. Panis. & Espenius in jur. eccl. univ. p. 2. tit. 6. c. 5. Haec Episcoporum auctoritas post saeculum VII. sensim presbyteris communicari coepit. Hinc deprehendimus, libros, & canones penitentiales, octavo, & sequentibus saeculis conditos, praecipue ad ipsos presbyteros verba dirigere, cum antiquiores canones solos Episcopos respiciant.

96 Non tamen omnibus presbyteris, sed fere solo parochis respectu suorum parochianorum, haec auctoritas competeat; & pluribus saeculis absolutio ab alieno sacerdote, sine licentia proprii obenta, nulla habita fuit, quod non obscure innuit Concilium Lateranense sub Innocentio III. saeculo XIII. celebratum, relat. in cap. Omnibus utriusque sexus, de penis. & remiss. Videtes Espenium, sed non sine cautione. Loc. cit.

97 Saeculo XIII. coepit perituri facultas excipiendi confessiones Fratrum Mendicantium à variis Summis Pontificibus, & sensim aliis presbyteris, non sine turbis & controversiis, ut refert Matthaeus Parisiensis ad an. 1146. & eruitur ex Defensorio Curat. Richardi Archiepiscopi Armacani, & Sermone ad Popul. Paris. ex part. univ. super falso Bulla Mendicant. an. 1409. Jo. Gersonii, ab opusculo contra Guillelmum de S. Amora D. Thomae, ex defensione privilegior. Frat. Mendicant. contra defensionem Curator. Richardi Archiepiscopi. Armacani Rogerii Chonnoii, & à pluribus opusculis S. Bonaventurae, qui etiam pro privilegiis Mendicantium calumiam strinxit.

98 Successit S. Synodus Tridentina sess. 23. cap. 15. de 100 Reformat. decernens, nullum presbyterum, etiam regularem posse confessiones secularium excipere, nec ad id idoneum reputari, nisi ab Episcopo approbationem accipiat; excepto tantum presbytero parochiale beneficium obtinente.

99 Quoniam verò nonnulli Regulares venditabant, quod à Concilio Tridentino abrogata non erant omnia eorum privilegia; ideo Urbanus VIII. in constitutione, quae incip. Sicut accepimus, edita die 12. Septemb. 1628. & est in Bullario Romano Cherubini tom. 4. constit. 92. q. 103 motu proprio, clausulis a plerisque, ex certa scientia, ac de plenitudine apostolicae potestatis, revocavit, casavit, sustulit, abrogavit, & annullavit omnia & quaecumque privilegia dicto decreto Concilii Tridentini contraria omnibus & singulis Religiosorum ordinibus, quoad documque, & quomodocumque concessa, etiam si talia

ARTICULUS II.

Quoad varia, quae concernunt approbationem Regularium & dependentiam ab eorum Superioribus.

SUMMARIUM.

- 1 De Confessario approbato pro Regularibus in genere.
2 Pro novitiis, ad n. 8.
3 Pro Regularibus itinerantibus &c. ad n. 14.
15 Et pro Regularibus alicuius Religionis, ad n. 17.
18 De Confessario Regulari approbato pro secularibus, ad n. 20.
21 De Confessario Regularium tempore Jubilee, ad n. 22.
23 De Confessario equitum S. Jo. Hierosolymitani.
24 Substantur supplementa Auctoritatis.
25 Item additiones ex aliena manu.

REGULARES pro confessionibus suorum regularium non indigent approbatione Episcopi, sed solum sui Praelati Regularis, quia ex quo Praelati Regulares habeant jurisdictionem quasi Episcopalem in suos subditos, competit eis haec facultas approbandi ad confessiones à iure communi, & antiquo, nec est revocata à Concilio Tridentino sess. 22. cap. 15. quia ibi fit solum sermo de Confessariis secularium, ut legenti patet; & expressè habetur ex decreto Clementis VIII. edito 26. Maji 1593. ubi sic praecipit ipsis Regularibus Praelatis: Superiores in singulis domibus deputent duos, tres, aut plures Confessarios pro subditorum numero majori, vel minori, iisque sint docti, prudentes, ac charitate praediti, qui non reservatis eos absolvant, & quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit &c. quod decretum fuit etiam confirmatum ab Urbano VIII. per decret. Sacri Congreg. Concilii die 21. Sept. 1624. addendo quod sequitur: Sanctitas sua deinceps declaravit, ut si hujusmodi Regularium Confessariis casus aliquis reservati facultatem petentibus, superior dare noluerit, possint nihilominus Confessarii illa vice Penitentibus Regulares, etiam non obtenta à superiore facultate, absolvere.

Confessarii approbati pro fratribus sine expressa exclusione novitiorum possunt valide absolvere etiam ipsos novitios. Nec obstant, ut censet aliqui, decreta Clementis VIII. pro novitiis, ubi §. 17. sic dicitur: Magistro soli novitiorum confessiones audiendi cura committatur. Licet autem superiori etiam locali, si ita expedire judicaverit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno eorundem novitiorum confessiones audire, quia istae ordinationes non sunt per modum praeccepti, sed solum per modum regulae, & consilii, unde statutis regularibus non derogant, nec minus irritant confessiones aliter factas; sic in istis terminis tenet Molles. part. 1. summ. tract. 7. cap. 14. num. 83. ex Peyrin. pag. 298. quae verba sunt impressa immediate post verba cit. Decret. §. 17. in familiaribus Regularium typis Dat. Neapoli 1706. à Patre Josepho à Neapoli. Et talem esse mentem Pontificis, colligitur etiam ex illis suis verbis: Licet autem superiori etiam locali, si ita expedire judicaverit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno eorundem novitiorum confessiones audire, cum superior localis de iure non habeat facultatem alios approbandi ad valide absolvendum. Unde etiam Bordonus resol. 4. num. 11. tenet confessiones novitiorum factas alteri à Magistro esse validas, quia censet, decreta Clementis VIII. pro novitiis non obligare sub culpa.

Novitii absque licentia Praelatorum ordinis possunt valide confiteri, & absolvi à peccatis, etiam in religione reservatis per quemcumque Confessarium ab Ordinario prosecularibus approbatum. Quia Novitii ante professionem non sunt verè & realiter religiosi, licet gaudeant favoribus, & privilegiis religionis, sed quoad hoc sunt instar secularium, adeoque cuiuscumque Confessario approbato ab Ordinario confiteantur, valida erit eorum confessio.

essent, ut de iis specialis, specifica, & expressa, ac de verbo ad verbum mentio habenda foret.

102 Atque hinc sicuti presbyteri seculares beneficium parochiale seu curatum non obtinentes nullam ordinariam, seu beneficium annexam jurisdictionem habent, cujus vigore confessiones possint excipere, sed solum delegatam, sive vicariam; ita presbyteri regulares nullam curam obtinentes, solum habent jurisdictionem delegatam, per Episcopi approbationem. Convenitque naturae hujus delegate jurisdictionis, ut pro arbitrio, & voluntate delegantis restringi, & coartari ad tempus, personas, atque materiam possit. Contrariam assertionem primum Clerus Gallicanus notavit, ac postmodum Alexander VIII. in decreto ad Episcopum Andegavensem, falsam, temerariam, scandalosam, in haeresim & schisma inducentem, S. Concilio Tridentino & Sedi Apostolicae injuriosam, declaravit Espen. loc. cit. c. 6. n. 18.

105 Hinc à vero alienum esse puto, quod scribit Auctor num. 50. Episcopus haud posse suspendere regulares ab excipiendis confessionibus, nisi nova superveniente causa, & quae ipsas confessiones concernat; contrarium enim resolutum fuit à S. Congr. Concilii interprete in una Patroina 8. Novemb. 1596. ad secundum dubium; fuit enim dictum, facultatem, & approbationem ad beneplacitum concessas posse per Episcopum absque causa revocari; vide Clericam. de Sacram. Panis. dec. 38. n. 20.

106 Eo magis poterit Episcopus suspendere regulares à confessionibus audiendis, si superveniat causa, quae ipsam confessionem concernat, ut vult Auctor loc. cit. quinquimo & si superveniat alia quaevis legitima causa, ut puta, si praediti regulares inhoneste vivant, vel aliquid scandalum dent, aut delictum committant, ut respondit Sacra Congregatio in una Orlean. 30. Augusti 1630. apud Barbosam lib. 1. jur. eccl. univ. c. 43. n. 209.

108 Et notat Pignatellus tom. 4. consulti. 174. n. 21. ex pluribus declaratoribus Sac. Congregationis, non teneri Episcopum pandere ipsis regularibus causam, ob quam eorum aliquos suspendat à confessionibus excipiendis, sed satis esse, si eam S. Congregatio aperiat, ubi ab ea fuerit interpellatus; vid. Clericam. diff. dec. 38. n. 22.

109 Quod tradidit Auctor num. 54. & seq. Regulares non posse iterum examinari à Vicario capitulari Sede vacante, nec ab ipso revocari posse facultatem, & approbationem habitam ab Episcopo; cum hac distinctione intelligendum. Si Confessarii regulares habuerint illimitatam licentiam audiendi confessiones ab Episcopo, eo mortuo, non possunt obligari à Vicario capitulari ad novam licentiam recipiendam, & multo minus ad subeundum novum examen. Aliter verò se res habet, si licentia limitata fuit ad Episcopum concedentis beneplacitum; quum enim ea exiret morte ipsius Episcopi, tenentur regulares comparere coram Vicario capitulari pro nova approbatione, quatenus ipse velit novum examen subire; confer Clericam. d. dec. 38. n. 24.

111 Qua pena puniendus sit regularis, qui absque approbatione, & licentia Episcopi se pro Confessario gerat, consule saepe laudatum Clericam. loc. mox cit. n. 30. & dec. 40. n. 12. &c.

(Tempore quoque legislativum corpus Partit. efformatum advertitur: retrorsum inspicie adnotat. post num. 9. verb. Aetas, vers. Per leges hispanicas: à presbytero parochiali, non ab alio erat confessio sacramentalis recipienda, nisi de ejus, aut Episcopi licentia: sine ea, episcopali, seu pontificali eam audire, baptizare, praedicare, sive animarum curam exercere regulares non poterant, leg. 21. tit. 4. p. 1. casus discernuntur quibus parochiani illud possunt effecere, hoc est, alii sacerdoti quam suo parochi confiteri, si in alia parochia habitationem constituerint: si certam non habeant sedem, vide verb. Successio ab intestato, vers. Non potest, prope fin. & verb. Vagus; si domo sua relicta, aliam ad quam se conferant, quaerunt: si iter fecerint peregrinationis causa, aut mercaturae: si deliquerint, nam volente peccatore, ubi peccatum commisit, confitebitur, quia non debet sera esse conversio; leg. 22. ejusd. tit. & p. Haec oculis obiciuntur, ut videantur quae in praedictis legibus referuntur. Conducit add. hisp. verb. Regulares.)

BIBLIOTECA CENTRAL UANL

7 Tum quia Novitii ante professionem non obligantur sub culpa ad observationem regulæ, & statutorum religionis, adeoque neque ligantur hoc statuto de confitendo soli Magistro Novitiorum. Rodriguez tom. 1. quæst. 22. art. 11. Miranda tom. 2. quæst. 34. art. 16. Portell. verb. Novitii absolutio, Melphi in cap. 6. statut. 7. quæst. 10. Felix Potestas t. 1. part. 4. de Ministr. panit. n. 3298. supplement. Theol. Decalog. cap. 2. sect. 3. de statu religioſo n. 128. Diana & alii cum Patre Kerchove in statut. generalia cap. 1. §. 7. n. 4. Confessarii approbati pro fratribus possunt valide absolvere Juvenes professos sub cura magistrorum degentes, nisi Prælati regularis in approbatione expressè excluserit tales Juvenes professos, quia in tali casu Confessarii non essent approbati quoad ipsos Juvenes professos, sicuti non sunt approbati quoad mulieres Confessarii illi, qui ab Ordinariis approbantur pro solis viris cum expressa exclusione feminarum. Melphi, & Felix Potestas loc. cit.

9 Regulares itinerantes, seu tempore concionum, vel alterius occasionis extra conventum existentes, nec copiam Confessarii approbati propriæ religionis habentes, possunt confiteri cuilibet Confessario, sive regulari, sive seculari. Sic concessit Innocentius VIII. Patribus Ordinis Prædicatorum in constit. incip. Provenit ex vestra devotionis effectu, edita sexto decimo kalendas Novembris 1405. & Sixtus IV. Fratribus minoribus in consuet. incip. Supplicari Nobis humiliter fecistis, die 11. Augusti 1479. apud Confec. reticendo alias consimiles concessionis factas ab aliis Pontificibus aliis regularibus, cum sitis superius omnes alias concessionis sigillatim adduce-re, ex quo alii communicent in hoc privilegio cum ipsis. Est communis sententia Doctorum, quia per licentiam itinerandi, vel aliam legitimam occasionem extra conventum permanentem, conceditur illis implicite talis facultas.

10 Immo Suarez, de penitent. disput. 28. sect. 4. cum multis aliis, Sa in summa, verb. Confessio, n. 6. Sporer, theol. sacrament. part. 3. c. 6. sect. 1. n. 683. Lezana, tom. 1. c. 18. n. 27. Corduba, super regul. S. Francis, c. 7. q. 3. punct. 1. Burg. cent. 2. caus. 8. Rosignol. de sacram. Penitent. q. 7. art. 16. n. 7. Tambur. & alii multi contra Vasquez cum paucis tenent posse tales regulares confiteri cuicumque simplici sacerdoti, sive seculari, sive regulari, licet à nullo Ordinario approbato, quia regulares non sunt adstricti confiteri Confessariis approbatis ab Episcopis, cum ante Concilium Tridentinum adstricti non essent, & per Concilium nihil sit immutatum circa concessionem regularium; nam in decreto sess. 23. c. 15. ubi requirit approbationem Episcopi, non comprehendit Confessarios regularium, seu religiosorum, sed solummodo Confessarios secularium, præcisè his verbis: Nullum etiam regularem posse confessiones secularium etiam sacerdotum audire. Nec alibi reperitur requisita hæc approbatio Ordinarii pro Confessariis religiosorum, sicuti reperitur requisita pro Confessariis monialium, ut docetur in sequenti articulo. Nec à suis superioribus isti religiosi itinerantes, ab extra conventum aliquo tempore existentes coarctantur, & restringuntur ad Confessarios ab Ordinario approbatos, ut supponitur; quia aliter sic coarctati, & restricti sine ullo dubio nequirent confiteri sacerdotibus non approbatis. Tenentur tamen tales religiosi, si habeant casus reservatos, se postmodum sistere superiori suo, aut alteri religioso facultatem habenti, ut ei confiteantur, & à casibus reservatis directe absolvantur.

15 Regulares quamvis ab Episcopis approbati nequeunt virtute privilegiorum audire confessiones regularium alterius ordinis, nisi forte ipsi religiosi, qui volunt audiri in confessione, licentiam habeant suorum Prælatorum. Sic Clemens XIII. in constitutione incip. Romani Pontificis data 13. Novembris 1599. ubi declarat in omnibus Indultis nunquam fuisse mentem Sedis Apostolicæ dare licentiam ulli religioso, vel moniali confitendi alicui contra dispositionem suorum superiorum: sed inquit, "nostre intentionis existere, quod iidem fratres, & moniales quantum ad sacramenti Penitentia, seu confessionis administrationem dispositioni suorum Prælatorum subjecti sint, apostolica auctoritate tenore presentium

perpetuo declaramus." Si verò regularis habeat legitimam facultatem à suo Prælato eligendi sibi Confessarium extra suum ordinem, poterit eligere etiam simplicem sacerdotem, sive secularem sive regularem non approbatum ab Episcopo, quia ut dicit Navarrus in Enchirid. c. 4. in addit. ad primum dictum, Conc. Trident. nihil circa Confessarios regularium innovavit de jure antiquo. De jure autem antiquo habentes licentiam eligendi Confessarium, poterant eligere sacerdotem simplicem, etiam ab Episcopo non approbatum, & ad hoc faciunt dicta, & adducti Doctores sub n. 10. 11. & seq.

Regularis, qui inscio, vel invito Prælati sui ordinis, approbatur ab Ordinario ad audiendas confessiones in sua diocesi, licet eas illicite audiat, ex quo peccet contra obedientiam, & voluntatem superioris, tamen eas valide excipit, cum in eo concurrant omnia requisita in ministro ad validitatem talis Sacramenti, scilicet ordo sacerdotalis, approbatio Episcopi, & jurisdictione delegata; sicut enim Episcopus potest conferre jurisdictionem in suas oves sacerdoti alterius diocesis, inscio, vel invito Episcopo illius alterius diocesis, ita poterit conferre etiam regulari inscio, vel invito suo superiore. Si verò in aliqua religione habeatur constitutio à Sede Apostolica, vel condita, vel approbata, quæ cavet quod nullus religiosus sine sui Prælati facultate presentet Ordinariis ad approbationem pro confessionibus obtinendam, & aliter obtenta revocetur, tunc nemini illicite, sed etiam invalide confessiones audire. Sic Miranda t. 1. q. 45. art. 12. Layman lib. 5. tract. 4. c. 10. n. 105. de sacram. Panit. Lezana t. 1. c. 19. n. 12. Navarr. inc. 1. de Panit. disc. 6. n. 73. Sporer, Tambur. & alii plurimi.

Generalis regularium potest suos subditos à se, vel suis prædecessoribus, vel aliis quibuscumque superioribus, ad audiendas confessiones approbatos, eosdem ab eisdem confessionibus audiendis suspendere, etiam ex causa occulta, & extrajudicialiter, ut declarat Sacra Congr. Episc. & Regal. in una Theatinorum 2. Julii 1617. apud Nicol. in lucubrat. t. 2. lib. 5. tit. 38. de Panit. & remiss. n. 91. in fine, & refert etiam Barb. in Conc. sess. 23. c. 15. n. 50.

Tempore Jubilæi possunt omnes regulares confiteri peccata sua sacerdotibus ab ordinario approbatis, tam secularibus, quam cujusvis ordinis regularibus. In Bulla enim non fit mentio, nisi de Ordinario eorum, qui audiunt confessiones, non autem de Ordinario penitentium. Et possunt absolvi à casibus superioris regulari reservatis; Alexander VII. const. incip. Unigenitus apud Nicol. in Florentis, verb. Jubilæum n. 6. Et sic antea declarasse Gregor. XIII. testatur Peyrin. de privi. Regul. t. 3. c. 4. n. 3. p. 1324. ac Murga in tract. de benefic. ecclesiast. q. 2. n. 121. pag. 44.

Equites S. Joannis Hierosolymitani possunt confiteri cum regulari Sacerdote à superiore tantum suo approbato, sicuti possunt alii regulares. Sic Barbos. in Conc. Trid. sess. 23. cap. 15. n. 10. Navarr. in tract. de elect. & variat. fori q. 69. n. 23. sect. 2. Aloysius Ricc. in praxi part. 4. resolut. 170. n. 2. & alii passim.

Circa tradita in hoc art. 4. num. 9. ad 11. observanda est novissima constitutio Benedicti XIV. incip. Quod communi, in qua revocat peculiare statutum ordinis Cappuccinorum, quo ipsis vetitum erat, ne Confessariis extra proprium ordinem unquam confiteri possent. Etenim observato, quod similia statuta secum afferre solent incommoda, "propter quæ (refert ibi) non sine aut conscientia angore, aut populorum offensione adimpleri posse, aliis, nonnulli fratrum præsertim ordinum Prædicatorum, Minorum S. Francis, aliorumque superiorum serio cogitant superhujusmodi statutum ordinum suorum, dispensationem ab eadem Sede Apostolica sibi impetrandam curarunt. Et relato deinde dicto statuto Cappuccinorum, & quæ ex ejus observantia moriebantur, & cum conscientiarum angoribus poterant moriri mala, sic pergit: Hisce malis opportuno apostolice providentiæ nostre remedium afferre cupientes, motu proprio & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolice potestatis plenitudine, prævia cujuscumque statuti, seu decreti, ut præmittitur, à generali definitorio editi, & per generalia dic-

ntis ordinis capitula approbati, etiam ab Apostolica Sede præfata confirmati revocatione, tenore presentium statuimus, decernimus ac mandamus, ut quilibet ex fratribus dicti ordinis, sive in sacro Presbyteratu ordine constitutus, cujuscumque status, gradus, dignitatis, & conditionis, sive laicus, sive conversus fuerit, qui de superiorum suorum licentia, quæcumque ex legitima causa, titulo, & occasione, sive prædicanti Verbum Dei quocumque tempore, sive sacras missiones peragendi, sive iter agendi & alicubi commorandi, ubi nullus conventus, seu hospitium, nullusque frater dicti ordinis, Confessarius reperitur, libere, & licite possit ac valeat quælibet presbyterum secularem, ab Ordinario loci, vel regularem à suo superiore regulari ad sacramentalis confessiones excipiendas approbatum adire, eique peccata sua confiteri, atque ab ipso obtinere sacramentalem absolutionem, etiam quoad casus pro constitutionibus, & statuta regularia dicti ordinis reservatos, incursumque proinde censuras, recepta salutari penitentia, præstitaque obligatione se statim, quoad ipsi permissum fuerit, coram suo regulari superiore presentandi, ac de novo super casibus, & censuris hujusmodi absolutionem impetrandi."***

Scribit Auctor n. 10. & seqq. Regulares itinerantes, seu tempore concionum, vel alterius occasionis extra conventum existentes, nec copiam Confessarii approbati propriæ religionis habentes, posse confiteri cuicumque simplici sacerdoti, sive seculari, sive regulari, licet à nullo Ordinario approbato. Sed non obstante turba Moralistarum, qui pro hac sententia, tamquam pro aris, & focis pugnant, eam solide confutat Cleric. de sacram. Penitent. decis. 39. per tot. Quinimò idem Auctor. n. 3. hanc ipsam inhabilitatem eligendi in Confessarium sacerdotem à nemine approbatum ad ipsos Prælatos regulares extendit.

ARTICULUS III.

Quoad ea, quæ concernunt approbationem Confessario- rum pro monialibus.

SUMMARIUM.

- 1 Monialium Confessarii debent esse approbati ab Ordinario loci, ad n. 4.
 - 5 Et quidem approbati specialiter pro monialibus, ad num. 6.
 - 7 Etiam si sint extraordinarii, ad num. 10.
 - 11 Etiam tempore jubilæi, ad num. 12.
 - 13 Hujusmodi approbatione indigent regulares etiam pro monialibus sibi subjectis, ad num. 14.
 - 15 Subnectuntur supplementa novissima Auctoris.
- CONFESSARIIS monialium debent esse approbati ab Ordinario loci, quamvis sint regulares, pro monialibus sibi subjectis, Gregor. in constit. incip. Inscrutabili, his verbis: Confessores verò sive regulares, sive seculares quomodocumque exempti, tam ordinarii, quam extraordinarii ad confessiones monialium, etiam regularibus subjectarum audiendas, nullatenus deputari valeant nisi prius ab Episcopo diocesano idonei judicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant, & sic expressè etiam Sacra Congregatio Concilii, in declaratione dicte constitutionis in responsione ad sextum: Quæ Sacra Congreg. posito sub num. 7. hoc quæsitio: An superiores regulares similiter ante ipsius constitutionis publicationem electi, seu deputati alia indigeant Episcopi approbatione pro confessionibus sanctorum monialium sibi subjectarum audiendis? Sic etiam respondit: Ad septimum superiores regulares electos, seu deputatos ante ipsius constitutionis publicationem, quibus aliquo facultas competat audiendi confessiones monialium sibi subjectarum, posse, durante eorum officio, pergere sine alia Episcopi approbatione in confessionibus audiendis, illarum tantum, quæ sponte, ac proprio motu id ab eis poterint. At verò eos, qui post constitutionem eligentur, aut quomodocumque deputantur, vel qui in eorum officio, seu dignitatibus, expleto jam tempore à constitutionibus cujuscumque ordinis,

vel aliis legitime præfinita ad aliud tempus confirmantur, nequaquam posse sanctorum monialium confessiones audire, nisi prius à diocesano Episcopo idonei judicati, atque approbati fuerint. Insuper declarans, confessiones monialium auditas à talibus superioribus regularibus sine approbatione Episcopi, esse nullas, ut patet ex responsione ad hoc octavum quæsitum: B. An confessiones, quas audiunt superiores regulares electi, seu deputati, vel confirmati post publicationem, & scientiam tenoris dicte Bullæ, non obtenta Episcopi approbatione, sint nullæ, atque irritæ, necne? Ad octavum, confessiones hujusmodi nullas, atque irritas esse; apud Fagnan. in cap. Cum capella 16. de privilegii, fol. 257. Et quod non possint superiores regulares & neque ipsi generales audire confessiones monialium sibi subjectarum sine approbatione Episcopi, iterum declaravit Sacra Congreg. Concilii; nam proposito dubio pro parte Abbatis Generalis Vallumbrosanorum; An ipse possit audire confessiones monialium sibi subjectarum absque præcedenti approbatione Episcopi diocesani? Eadem Congregatio sub die 13. Novembris 1637. respondit; non posse. Vide tamen infra num. 15.

Licet autem sint iidem generaliter approbati ab Episcopo ad confessiones secularium audiendas, adhuc eis necessaria specialis approbatio pro monialibus, ut expressè declaravit eadem Sacra Congregatio in responsione ad nonum, & Clemens. X. in constit. incip. Superna, præcisè his verbis: Et generaliter approbati ab Episcopo ad personarum secularium confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum, sed egerè quoad hæc speciali Episcopi approbatione. Nec approbati ab Episcopo ad audiendas confessiones monialium unius monasterii, censentur approbati ad audiendas confessiones monialium alterius monasterii; citat. Sacra Congreg. apud Fagnan. in respons. ad decimum, & citat. constit. Superna, his verbis: Atque approbati pro audiendis confessionibus monialium unius monasterii, minime posse audire confessiones monialium alterius monasterii.

Etiam Confessarii extraordinarii indigent speciali approbatione Episcopi. Nec semel approbati, censentur semper approbati. Nec in vim unius approbationis, possunt pluries monialium etiam ejusdem monasterii confessiones audire, sed toties debent ab Episcopo approbati, quoties casus deputationis contigerit; eadem Sacra Congreg. in responsione ad undecimum, & citat. constitutione Superna, his verbis: Iidemque Confessores extraordinarii semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab Episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

Immo tales Confessarii indigent approbatione Ordinarii ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum, non obstante etiam contraria consuetudine immemorabili, ut decrevit Sacra Congreg. Concilii, in Cæduren. 12. Julii 1618. in responsione ad secundum, præcisè his verbis: Ad secundum, Confessarios etiam extraordinarios monialium etiam regularibus subjectarum post constitutionem Gregorii XV. hæc de re editam nullatenus posse earum confessiones audire, nisi prius ab Episcopo diocesano idonei judicentur, & approbentur, non obstante quacumque contraria consuetudine, lib. 18. Decretor. pag. 60.

Confessarii non approbati specialiter ad audiendas confessiones monialium nequeunt earum confessiones audire, neque tempore Jubilæi. Deducitur ex citat. constit. Gregor. XV. incip. Inscrutabili, & Clement. X. incip. Superna, ubi declaratur, Confessarios approbatos generaliter ad audiendas confessiones secularium, non posse audire confessiones monialium sine speciali approbatione pro ipsis. Et hoc etiam clare habetur ex declaratione Sacra Congreg. missa ad Episcopum Abulensem, ann. 1593. & relata ab Arauco, in selecta, tract. 1. q. 8. sect. 3. num. 5. in qua decernitur, quod approbatus ad audiendas confessiones certi generis personarum, vel in certa ecclesia, non censetur approbatus simpliciter, ac proinde

BIBLIOTECA CENTRAL UANL

de quod non potest virtute Jubilæi eligi ad audiendas confessiones aliarum personarum, aut extra ecclesiam sibi designatas, & sic tanto magis ad audiendas confessiones monialium sine specifica approbatione pro ipsis; Viva, g. 9. art. 2. Molfesius, Pellizzarius, Alfons. de Leon, Faustus, & alii. Et sic etiam potest dici, quod approbatus pro monialibus unius monasterii, neque tempore Jubilæi censetur approbatus pro monialibus alterius monasterii; cum Clemens X. in sua constit. incip. Superna absolute, & simpliciter statuatur, ut jam declaraverat Sac. Congr. Concil. super concit. Gregor. XV. Inscrutabili, in responsione ad nonam: *Approbatus pro audiendis confessionibus monialium unius monasterii, minime posse audire confessiones monialium alterius monasterii.*

13 Confessarius presentatus ad confessiones excipiendas monialium regularium subiectarum, debet vel absolute rejici, vel per totum triennium approbati, non vero ad tempus brevius, prout declaravit, & respondit Sac. Congr. Episcop. & Regul. in Canonicis. ad favorem P.P. Minorum de Oberantia, sub die 4. Maji 1696. rescribendo Episcopo prout sequitur: *Riferito in Sacra Congregazione dall' Eminentissimo D' Adda tutto ciò che V. S. ha rappresentato in ordine all' approvazione fatta da lei per un sol anno del Confessor ordinario deputato dal Provinciale della provincia osservante di Sicilia per le monache del monasterio di S. Chiara d' Adorno di coesta diocesi, soggetto all' ordine d' minori osservanti di S. Francesco, questi Eminentissimi miei Signori sono stati di senso ch' ella o ammetta il Confessor deputato a compire il triennio, o assolutamente lo rigetti, e che in avvenire debba così osservarsi dal principio dell' approvazione di simili Confessori. Glielo signifi- ca, e il Signor Iddio la prosperi. Nulla ex monialibus, quæ subijciuntur regularibus, sentiens se non gravatam mortali culpa, potest de venialibus valide confiteri sacramentaliter cuiquamque sacerdoti non approbato ab Ordinario, prout rescripsit Sac. Congr. Concilii, in Januariis. 9. Junii 1557. apud Nicol. in lucubr. canon. t. 2. lib. 3. tit. 1. n. 11. Pascuc. in compend. ad consulti. Canon. Jacobi Pignatelli. part. 2. tit. de monialibus.*

15 *** Quoad dicta in hoc art. n. 4. advertendum nunc est, prælatos regulares, scilicet generales, & provinciales posse licite, & valide excipere sacramentales confessiones monialium sibi subiectarum absque approbatione, & facultate Episcoporum solidissime ostendi, & probavi in Appendice, Traët. XI. Cursus Theologiæ Moralibus celeberrimi Collegii Salmaticensis, Edition. Veneta, anni 1755. apud Nicolaum Pezzana c. 6. punct. 2. §. 1. num. 74. ad questionem: An prælati regulares indigeant speciali approbatione Episcopi diocesani pro excipiendis confessionibus monialium, quæ sub gubernio eorum existunt? Relatis prius contrariis, statim sub n. 75. sic concluditur: Sed his non obstantibus, dicendum est, prælatos regulares, scilicet generales, & provinciales non indigere approbatione Episcoporum, ut confessiones monialium, quæ ipsorum regularium jurisdictioni subduntur, licite & valide excipere queant. Quæ quidem sententia definita fuit auctoritate, & declaratione SS. D. N. Benedicti XIII. quæ in Bulla incip. Pastoralis officii, §. 8. sic expressè præsentem difficultatem resolvit, ibi: *Ab hujusmodi tamen lege & ordinatione ad supplicationem dilecti filii nostri Ludovici S. R. E. Cardinalis Belluga, & Monacha nunciati, eximimus superiores generales, ac etiam provinciales ejusdem ordinis regularis quibus, ut confessiones monialium sibi subiectarum dumtaxat absque iustismodi speciali approbatione Episcopi diocesani audire licite & valide possint, permittimus, & indulgemus.* Et ibidem, n. 76. sic subiungitur: *Probatum resolutio hac unica ratione, (qua fortè motus idem Pontifex Benedictus hanc exceptionem posuit) quia quoties aliquis est verus parochus respectu aliquorum, non indiget approbatione Episcopi pro audiendis eorum confessionibus; sed prælati regulares, generales, & provinciales sunt veri parochi suarum monialium; ergo possunt absque speciali Episcopi approbatione illarum confessiones audire. Probatum minor. Generalis, & provinciales habent jurisdictionem ordinariam in moniales, quæ sunt sub eorum regimine, sicutque veri earum Pastores, non secus ac domini Epis-*

copi; (sic diximus de privilegiis, c. 4. n. 1. & 2.) sed Episcopi sunt verè parochi suorum ovium; ergo, & prælati regulares, generales, & provinciales sunt verè parochi suarum monialium. Confirmatur. Nam Summus Pontifex conferens superioribus religionum jurisdictionem ordinariam in ordine ad confessiones monialium illis subiectarum, ipso facto illos iudicat idoneos, & consequenter illos approbat. Si ergo illos approbat, Episcopi approbatio minime requiritur. Explicatur. Jurisdictio ordinaria expedita, & absoluta est officio generalis, & provincialis annexa; sunt enim parochi respectu suorum subditorum, & ad obinendam generalis, vel provincialis &c. nulla requiritur Episcopi approbatio; ergo nec ad fructum jurisdictionis ordinariæ expeditæ & absolute opus est illis Episcopi approbatione; ergo nec pro audiendis confessionibus monialium suæ jurisdictionis erit necessaria. *Hæc ibi ad litteram, & nec valet dicere, quod dicta constitutio edita fuit tantummodo pro regnis Hispaniarum; non valet, inquam, quia etiam constitutio Benedicti XIV. incip. Suprema, edita fuit solummodo pro regnis Portugallia, & Algarbiorum, & confirmata pro dictis regnis alia ejusdem Pontificis constitutione incip. Ubi primum. Et tamen idem SS. Pontifex ad eliminandas erroneas opiniones, ac pravas interpretationes quorundam Doctorum volentium dictas duas constitutiones, utpote ad Lusitanie regnum ac ditionum opportunitate accommodatas, & pro hisdem solummodo emanatas extra ipsa regna non obligare, & generalis definitionis & legis vim & auctoritatem habere temere negantium (sunt verba Pontificis) aliam edidit constitutionem incip. Ad eradicandum pravum, quæ declaravit dictas duas constitutiones, quæque vigent solummodo pro Lusitanie regnis atque ditionibus, tamen ubique locorum ac temporum generalis definitionis & legis vim & auctoritatem habere. Et quidem meritò; ubi enim eadem est ratio, eadem est legis dispositio: leg. Ideo 27. ff. de legibus, leg. Illud 31. ff. ad leg. Aquilianam, cap. Inter corporalia 2. de translat. Epic. tum similibus; cum ratio legis sit anima legis; leg. Cum ratio, ff. de bonis damnatorum. (Videantur leg. 7. tit. 17. lib. 4. For. Reg. 15. tit. 6. part. 1. tit. 14. & 15. part. 2. 7. tit. 15. part. 4. 2. tit. 4. part. 5. 7. tit. 7. part. 6. 6. & 21. tit. 15. part. 7. 15. tit. 13. lib. 8. Ord. Reg. 1. tit. 3. lib. 2. 1. tit. 18. 13. tit. 23. lib. 8. Recop. Castelle: in quibus casus diversi prescribuntur, denotantes quod ubi est eadem ratio, non discrepat legis dispositio.)****

¶ Ex quo Benedictus XIII. in Bulla incip. Pastoralis officii: ut notat clarissimus Auctor (quamquam mihi percurrunt constitutiones præfati Pontificis nullatenus occurrerit), pro Hispaniarum indulserit generalibus, & provincialibus superioribus, ut monialium sibi subiectarum confessiones absque Episcopi approbatione audire possint; quomodo inde regula generalis firmetur, idem eis ubique locorum licere, non video. At, inquit Benedictus XIV. constitutiones Suprema, & ubi primum editas pro Portugallia ditionibus, in alia constitutione. Ad eradicandum, declaravit ubique locorum definitionis vim sibi vindicare. Verùm in clytus Canonista non ignorat differentiam, quæ intercedit inter constitutiones, quæ pravum aliquod dogma, vel reprobandum aliquam consuetudinem rectæ sacramentorum administrationis adversantem, damnant, & constitutiones aliquod speciale privilegium largientes. Priores firmæ & immobilem ubique locorum habent auctoritatem. Alia verò provincialium limites, in quorum favorem concessæ sunt, non excedunt. Hæc vel ipsis tribus notissima sunt. Ex his prudens discere potest lector, non omnia privilegia, quæ nonnumquam à quibuscumque venditantur, seculo examine esse admitenda. ¶ Num moniales ex lege foundationis, tum ex consuetudine jus habere queant eligendi in Confessarium aliquem ab Episcopo approbandum? Affirmat Zypæus, consulti. canon. lib. 3. tit. de regular. consulti. 5. num. 7.

De eo quoque novissime disputatum fuit in Sac. Congregatione Episcoporum & Regularium negotiis præposita, an moniales ex consuetudine eligere in Confessarium valeant aliquem de approbatis ab Episcopo, fierique ab ipsis hæc electio possit absque interventu Episcopi, vel alterius ab ipso destinandi, & demum teneatur Episcopus

pus Confessarium ab iis electum confirmare; resolutumque fuit: posse moniales vigore consuetudinis eligere in Confessarium aliquem de approbatis ab Episcopo, modò tamen approbatus ille sit pro monialibus; & electionem fieri posse ab iis absque Archiepiscopi, vel ejus deputati interventu; & teneri Episcopum Confessarium electum confirmare, quatenus non adsit legitima causa non confirmandi. Vide resolutiones in Brundusina Januarii 1574. & Februarii 1755. ad a. & 3. dub. ¶

AQUA BENEDICTA.

SUMMARIUM.

- 1 Aqua benedicta est duplex & que sit, ad n. 2.
- 2 Diaconi nequeunt aquam lustralem benedicere.
- 3 Aqua lustralis benedictio, si fieret à sacerdote excommunicato, vel suspenso, ipse sacerdos evaderet irregularis.
- 4 Aqua benedicta non est Sacramentum, sed solum est quoddam sacramentale.
- 5 Aquæ lustralis benedictio est faciendâ singulis quibusque diebus dominicis (exceptis dominicis Pasche, & Pentecostes).
- 6 Aqua benedicta aspergendus est populus, & altare cum antiphona Asperges, vel alia quæ pro tempore occurrit, & Psalmo, vel versu Misere mei Deus.
- 7 Hæc aqua benedicta aspersio in dominicis diebus fieri debet per ipsum celebrantem, etiam quod sit prima dignitas, vel alia dignitas, non obstante contraria consuetudine.
- 8 Aquæ benedicta aspersio debet fieri singulatim quibuscumque dignitatibus, & canonicis, incipiendo ab iis, qui in dextero cornu existunt, non unico actu in circumlo.
- 9 Aqua benedicta, vel oleum benedictum, si defecere videatur, & alia aqua benedicta, vel oleum benedictum haberi non possit, potest reparari per additionem alterius aquæ non benedictæ, vel respectivè alterius olei non benedicti in minori quantitate.
- 10 Aquæ benedicta aspersorium Episcopo accedenti ad ecclesiam debet ministrari à prima dignitate, vel dignitate canonico.
- 11 Accedenti verò ad ecclesiam collegiatam, seu ad quamcumque aliam, etiam regularium, porrigen- dum est à digniore illius ecclesie, ad quam accedit Episcopus, sive Legatus, sive alius Prelatus, non verò à prima dignitate, vel primo canonico ecclesie cathedralis quatenus ibi adsit.
- 12 Prælato Referendario, & Governatori civitatis accedenti ad ecclesiam datur aqua benedicta per contactum aspersorii ab aliquo ministro Cotta induto, non autem per traditionem aspersorii, quo se ipsum signet, & alios per asperionem.

1 Aqua benedicta est duplex: Una ordinata ad consecrationem, vel reconciliationem ecclesie pollutæ sanguine, vel semine, quæ benedicitur solum ab Episcopo cum vino, & cinere, ut in cap. Proposuiti 4. & cap. Aqua 9. de consecrat. eccles. vel altaris. Alia ordinata ad asperionem hominum, vel domorum, & aliarum rerum inservientium ad usum nostrum, & ad repellendos invisibiles inimicos, quæ benedicitur à sacerdote cum sale, ut in cap. Aquam sale conspersam, de consecr. dist. 3. Quam Diaconi benedicere non possunt, ut colligitur ex dict. capit. Aquam sale &c. & ex cap. Perlectis, §. Ad Presbyterum, dist. 25. ubi dicitur quod ad Presbyterum pertinet benedicere dona Dei. Et idem cum hujus aquæ lustralis benedictio certi ordinis sacerdotalis, si fieret à sacerdote excommunicato, vel suspenso, ipse sacerdos evaderet irregularis, arg. cap. Si quis Episcopus 1. & 2. caus. 11. quest. 3. cap. Cleric. cap. Latores, cap. Illud, & cap. Fraternalitatem, de Clerico excommunicato celebrante.

2 Aqua benedicta non est sacramentum, quia non infundit gratiam, nec remittit peccata ex opere operato, sed solum est quoddam sacramentale aliquo modo delens ve-

nialia, in quantum excitat mentem ad quamdam elevationem, & devotionem actualem, quæ est virtualis contritio de venialibus, ea diluens; unde aqua benedicta habet virtutem hominum sanctificativam; in quantum excitat devotionem, & purificativam, in quantum per eam venialia diluuntur, & ablutivam sterilitatis rerum mundanarum, sicut sal sub Elisæo sanavit aquæ; & terræ sterilitatem. 4. Reg. cap. 2. n. 20. 21. & 22. & virtutem aversivam insidiarum diaboli, & defensivam malis phantasmatis. Alexander I. epist. 1. c. 5. & c. Aquam sale conspersam 20. dist. 3. de consecrat. ubi sic præcisè habetur: *Aquam sale conspersam... populis benedicimus, ut ea cuncti aspersi sanctificentur & purificentur, quod & omnibus sacerdotibus faciendum esse mandamus; nam si cinis virule sanguine aspersus populum sanctificabat, atque mundabat, multo magis aqua sale aspersa, divinitus præcibus sacra populum sanctificat, atque mandat. Et si sale asperso, per Elisæum prophetam sterilitas aquæ sanata est, quanto magis divinis precibus sacraus. Sal sterilitatem rerum auferit humanarum, & coquinatos sanctificat, atque mundat, & purgat, & cetera bona multiplicat, & insidias diaboli avertit, & à phantasmatum detritiis homines defendit; & sic colligitur etiam ex cap. Nec quamquam, dist. 4. de consecr. ¶ Quod aqua lustralis, seu benedicta, ex opere operato deleat peccata venialia, est plurimum Auctorum, & quidem gravissimorum, opinio apud Paulum Matiam Quarti de benedictionibus; tit. 1. sect. 3. dub. 5. & tit. 3. prælad. 3. & Dianam, part. 3. traët. 4. resol. 61. quam opinionem Didacus Nugnus, in 3. part. 1. 2. q. 87. art. 3. diff. 2. sic defendit. Sicut sacramenta novæ legis elevarunt à Deo ad causandam gratiam physicè, & realiter perverum contactum physicum realem ad modum rerum naturalium, quia scilicet materia sensibilis verè tangit animam tactu reali, non quidem tactu quantitativo, propter quod appellatur contactus virtualis; est nihilominus contactus realis, & entiativus, sicut Angelus verè, & realiter tangit cœlum, quando illud movet. Ita similiter aqua benedicta elevaratur à Deo, ut verè, & realiter tangat animam tactu illo, qui appellatur virtualis, propterea quod non est quantitativus, & nihilominus ille contactus est realis, & entiativus, quo medio aqua movet ipsam animam, & remittendo, & realiter corrumpendo veniale peccatum. Et sicut in adultis semper requiritur aliquis actus, ut sacramenta causent gratiam; qui tamen actus vel non est secundum se sufficiens ad tantam gratiam, quanta est illa, quæ causatur de facto in sacramento: & sic verum est, quod sacramenta causent gratiam ex opere operato; ita similiter licet ad hoc, quod aqua benedicta remittat peccata venialia, semper requiritur aliquis actus, tamen vel actus non est sufficiens ad peccata venialia remittenda, vel saltem non est sufficiens ad omnia illa, quæ de facto remittuntur per aquam benedictam. Et sic verificatur propriè, & rigorosè, quod ipsa aqua benedicta ex opere operato remittit peccata venialia, ad quod tamen non est necessarium, quod maneat in illa aliqua qualitas permanens, sed sufficit ipsa elevatio divina, quæ est motus transiens; Ita Nugnus, loc. citat. Bellarminus, lib. 3. de eccles. triumph. cap. 7. ait expressè, aquam benedictam valere ad deletionem venialium. Et deinde ad probandum, quod rectè ad effectus supernaturales efficiendos, & significandos utitur aqua, oleo, aliisque rebus benedictione consecratis, subiungit, quod quemadmodum sanguis Christi applicatur per Baptismum, & Pœnitentiæ sacramentum, ad delenda omnia peccata; ita etiam applicatur per sacramentalia, & orationem dominicam, ad delenda venialia in eo, qui est in gratia. Et lib. 2. de Sacram. cap. 31. concludit, esse probabile, posse ecclesiam instituire novas ceremonias, ut exorcismos, aquam benedictam, &c. non quidem ad justificandum ipsum; sed ad alios effectus spirituales, per applicationem Christi meritum: ita ut opere operato illos effectus producant, quomodò sacramenta ex opere operato justificant. Christus enim sine dubio meruit ecclesie suæ, non solum gratiam, sed etiam omnia alia beneficia, quæ illi utilia esse possunt. Et quidem ad gratiam, & justificationem implici consequendam, instituit ipse Sacramentum, quibus applicetur ip-*

BIBLIOTECA CENTRAL
U. N. N. L.